



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Q. 278. A quo, & quibus ex causis fieri possit translatio episcoporum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

facilius destruitur, quàm construitur; siquidem constitui potest sola voluntate contrahentium, at non potest destrui, nisi auctoritate Dei; ergo matrimonium spirituale, quod quia est vinculum spirituale, est fortius, & difficilius destruibile propter naturam rerum spiritualium, destrui non poterit, ac dissolui, nisi auctoritate Dei per seipsum, vel per suos Vicarios.

8. Secunda difficultas est. Falsum videtur, quod vinculum matrimonij spiritualis sit fortius, & difficilius dissolubile, quam vinculum matrimonij carnalis. Vel enim loquimur de matrimonio rato, vel de consummato: si de matrimonio consummato, matrimonium carnale consummatum neque à summo Pontifice potest dissolui quoad vinculum, itaut vir ducat aliam vxorem: at matrimonium episcopi cum ecclesia potest dissolui etiam quoad vinculum, itaut episcopus accipiat aliam ecclesiam; ergo matrimonium carnale consummatum est vinculum fortius, & insolubile matrimonio spirituali consummato. Si verò loquimur de matrimonio rato, videmus, quod rarius, & difficilius dissoluantur matrimonia carnalia rata, quàm matrimonia spiritualia, cum episcopi satis frequenter transferantur ab vna ecclesia ad aliam, & suos episcopatus relinquunt.

9. Omisissis alijs responsonibus, quas refert, & rejicit Vasquez, disp. 241. cap. 4. ad 5. dicendum cum eodem Vasquez, cap. 5. Vinculum matrimonij carnalis consummati fortius esse vinculo matrimonij spiritualis consummati per consecrationem. Ratio est, quia matrimonium carnale cum consummatur, coniuges acquirunt nouam obligationem, non dissoluedi vinculum ratione prolis, ad quam proximè ordinatur consummatio matrimonij: at episcopus per consecrationem, non acquirit nouam curam animarum, quàm non haberet ante: ergo non est mirum, quod vinculum matrimonij carnalis consummati euadat fortius, & indissolubile vinculo matrimonij spiritualis consummati. At vinculum matrimonij carnalis rati est minus forte, & facilius dissolubile vinculo matrimonij spiritualis etiam non consummati per consecrationem. Patet. Nam ingressus in religionem est sufficiens causa dissoluedi matrimonij carnale ratum, & tamen nõ est sufficiens causa dissoluedi matrimonium spirituale episcopi cum ecclesia. Rursus ad dissoluedum matrimonij spirituale requiruntur causæ spectantes ad bonum commune ecclesie: ad dissoluedum matrimonium carnale ratum sufficit causa boni priuati, quod alter coniux consequitur per ingressum religionis. Ex eo autem, quod matrimonium spirituale frequentius dissoluatur, non sequitur, quod sit facilius dissolubile, sed solum sequitur frequentius occurrere causas, propter quas potest, ac solet dissolui, quàm occurrant causæ, pro-

pter quas potest, ac solet dissolui matrimonium carnale ratum. Caterum si homines vellent vti causa ingressus in religionem ad dissoluedum matrimonium carnale, possent multo frequentius dissolui matrimonia rata carnalia, quam dissoluantur spiritualia.

QVÆSTIO CCLXXVIII.

A quo, & quibus ex causis fieri possit translatio episcoporum?

1. Innocentius tertius capite *Inter corporalia* relato à nobis quæst. 274. planè definit translationem episcoporum soli Deo, & summo Pontifici, qui vt pote Dei Vicarius, diuina quoad hoc potestate est instructus, reseruatum esse. Ratio est, quia sicut matrimonium carnale ratum non potest dissolui, nisi à summo Pontifice, sic matrimonium spirituale, cuius vinculum est fortius, non debet posse dissolui ab alio, quam à summo Pontifice.

2. Addit Vasquez summum Pontificem posse Patriarchis, aut Episcopis prouinciæ committere renunciationes, & translationes episcoporum, ac antiquitus commissas fuisse Patriarchis, vel episcopis prouincialibus, non solum confirmationem electi, sed etiam renunciationes, & translationes episcoporum. Probat. Nam Anterus Papa epistola ad Episcopos Baticæ, & Toletanæ prouinciæ relata qu. 277. num. 3. dicit: *Sicut episcopi habent potestatem ordinandi regulariter episcopos, & reliquos sacerdotes, sic quoties utilitas, aut necessitas exposcit supra dicto modo mutare, & inthronizare, potestatem habent.* Rursus Can. 14. apostolorum, cum dictum fuisset episcopum non esse transferendum, nisi ratione maioris lucri animarum, additur. *Et hoc non à semetipso pertinet, sed multorum episcoporum iudicio, ac maxima supplicatione pertinet.* Concilium Carthaginense 4. cap. 27. dicit sanè si id Ecclesia utilitas sciendum poposcerit, decreto pro eo clericorum, & laicorum episcopis porrecto, in præsentia synodi transferatur.

3. Superest, vt examinemus, ex quibus causis possint episcopi transferri. Dicendum primo cum Vasquez disp. 241. cap. 7. Episcopus non potest ex minori ecclesia transferri ad maiorem solo prætextu maiorum reddituum, & maioris potestatis, etiam si hoc pacto velit aliquam suorum laborum retributionem habere. Probat. primo auctoritate. Nam omnia Concilia, & omnes Pontifices relati qu. 277. damnant tamquam iniquam translationem episcoporum factam per ambitum; sed translatio facta ad hoc, vt episcopus habeat maiores redditus, & maiorem potestatem, etiam si fiat eo prætextu, vt episcopus accipiat aliquam remunerationem laborum, proculdubio fit per ambitum; ergo procul-

dubio est prohibita, etiamsi episcopus velit transferri, vt accipiat retributionem suorum laborum. Nam desiderium recipiendi in retributionem laborum maiores diuitias, & maiorem potestatem, non potest excusari ab auaritia, cum episcopus suis laboribus non debeat querere lucrum diuitiarum, sed animarum: alioquin non agit vt pastor, sed vt mercenarius.

4. Dicendum secundo: causæ sufficientes ad episcoporum translationem reducuntur ad duas, hoc est ad utilitatem spiritualem ecclesiæ, & ad necessitatem. Primo igitur episcopus potest transferri ab vna ecclesia ad aliam, cum maior utilitas spiritualis secutura est ex eo, quod sit episcopus vnus ecclesiæ, quam alterius, & hæc maior utilitas sine translatione suppleri commodè non potest: si autem potest commodè suppleri, puta eligendo episcopum maioris ecclesiæ aliquem virum insignem, translatio non debet fieri. Ratio est, quia vna ecclesia rationabiliter debet permittere, vt suus episcopus transferatur ad aliam ecclesiam, cum ex hac translatione secutura est maior utilitas animarum; siquidem bonum commune præferendum est particulari.

5. Secunda causa transferendi episcopum, est necessitas, quæ vt docet Innocentius tertius, capite *nisi cum pridem*, oriri potest ex sex capitibus; primo ex conscientia criminis; secundo ex debilitate corporis; tertio ex defectu scientiæ; quarto ex malitia plebis; quinto ex graui scandalo; sexto ex irregularitate personæ; quæ causæ his verbis explicantur.

*Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,*

*Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.*

Porro ex his causis aliquæ sufficiunt ad renunciandum simul, & transferendum; aliquæ solum ad renunciandum, non ad transferendum. Videri potest Vasquez disp. 241. cap. 7.

## QVÆSTIO CCLXXIX.

*De statu, dignitate Cardinalium, ac eorum institutione.*

1. **C** Aloisius libr. 4. institutionum, cap. 7. part. 30. dicit se non legisse ante tempora Gregorij nomen Cardinalis, adeoque insinuat hoc nomen non esse antiquius Gregorio. Sed rejicitur. Nam in Synodo Romana, secunda celebrata sub Syluestro, capite 6. dicitur: *Vt diaconi non essent plus, vel amplius per parochiarum examen, nisi duo, & diaconi Cardinales Urbis Romæ septem &c.* ergo synodus diaconos septem, quos Fabianus per regiones septem ciuitatis constituerat, non solum vocat Cardinales, sed etiam insinuat illos antiquitus hoc nomen appellatos. Quando vocari cœperint hoc nomine, non satis constat. Existimat au-

tem Vasquez tempore Syluestri solos septem diaconos vocatos Cardinales, hoc autem nomen eo tempore nondum presbyteris, & episcopis fuisse accommodatum.

2. Nomen Cardinalis idem significare videtur, ac *præcipuum*, & à quo cœteri pendent, qua ratione præcipuæ virtutes, quæ sub se alias continent, dicuntur Cardinales; præcipui etiam venti Cardinales dicuntur. Supposito hoc, non conueniunt authores in explicando, quare diaconi, presbyteri, & episcopi, ad quos spectat electio Romani Pontificis, dicuntur Cardinales. Onuphrius Panuinus libro de Cardinalium titulis existimat Cardinales dictos, eo quod cum plures essent in eadem ecclesia diaconi, & presbyteri, vnus præerat cæteris, qui proinde dictus est Cardinalis, seu præcipuus. Bellarminus lib. 1. de clericis, cap. 16. refellit hanc opinionem; primo quia in eadem ecclesia aliquando erant plures presbyteri Cardinales, vt patet ex Synodo Gregorij Magni, quæ est in libro 4. registri, cap. 38. alias epist. 44. in qua ponuntur subscriptiones, non solum episcoporum, sed etiam presbyterorum Cardinalium, ac plures sub eodem titulo inueniuntur. Secundo quia iuxta hanc explicationem non potest afferri ratio, ob quam aliqui episcopi dicantur Cardinales: siquidem non possunt vocari hoc nomine, quia in sua dioecesi præsent alij presbyteris.

3. Leo Nonus epistola contra præsumptiones Michaelis, cap. 32. cum Romanos Pontifices comparasset cardini ianua, quo immobili permanente, ianua vertitur, quia cœteros iudicant, ipsi autem à nemine iudicantur, dicit. *Vnde & clerici eius Cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cætera mouentur, vicinus adhaerentes.* Bellarminus rejicit hanc sententiam, quia etiam in alijs ecclesijs erant presbyteri Cardinales dicti, vt patet ex Gregorio lib. 5. epist. 11. alias 111. & lib. 11. epistol. 34. & ex Concilio Vualdensi; sed iuxta hanc explicationem non apparet ratio, cur etiam presbyteri aliarum ecclesiarum dicerentur Cardinales; ergo &c.

4. Turrecremata lib. 1. summæ de ecclesia, cap. 80. m. cimb. 4. putat Cardinales dictos fuisse diaconos, & presbyteros, quia seuebant ecclesiæ Romanæ, quæ ab Anacleto epist. 3. cap. 4. & refertur Can. *Sacrosancta* 222. dicitur cardo, & caput omnium ecclesiarum. Sed iuxta hanc explicationem omnes diaconi, & presbyteri ecclesiæ romanæ deberent dici Cardinales. Idem Turrecremata docet diaconos, presbyteros, & episcopos dictos fuisse cardinales, quasi præcipuos, probatque ex Canone *Pastorali* 7. quæst. 1. & ex Canone *Relatio*, 21. quæst. 21. eo quod eorum consilio tota ecclesia vniuersalis gubernetur, quam sententiam tradidit quoque Aluarus Pelagius lib. 2. de planctu ecclesiæ, cap. 16. At S. Gregorius Canonibus citatis videtur aliud nomi-